

quam principio suæ expressionis. Licet autem Personæ, et attributa pertineant ad objectum primarium inadæquate, non tamen munus, et officium speciei convenit attributis, et essentiæ, sed sola essentia reddit intelligibiles relationes, et attributa, ut ratio formalis. Unde sola essentia habet rationem principii fœcundantis intellectum paternum per modum principii, et speciei, et sic Verbum procedit ut simile illi in essentia, et est imago illius ratione essentiæ seu naturæ, quæ sibi communicatur, et in qua similis est Patri, non in personalitate, quæ potius illi opponitur. Non tamen dicitur imago sui, vel Spiritus Sancti, aut attributorum, quia licet illa exprimat, et repræsentet ut cognita terminative, non tamen respicit ut principium a quo fœcundatur intellectus Patris in ratione speciei, hoc enim proprie pertinet ad naturam sub conceptu naturæ, quæ est ratio generandi, et assimilandi, ut principium agendi. Quod autem non respicitur ut principium, non dicitur aliquid imago illius, etiamsi repræsentet illud ut terminum et rem cognitam, non ut principium cognoscendi. Imo, et creatura repræsentat Verbum ut res cognitas, non tamen est imago illarum ratione dicta. Videatur Div. Thomas infra, quæstione xxxiv, articulo iii ad iii, et quæstione xxxv, articulo i.

## ARTICULUS II.

*Utrum tota, et unica ratio cognoscendi se, et creature sit essentia divina, et quomodo?*

I. Duo in præsenti articulo tanguntur. Primum, an Deus ita habeat pro ratione motiva suam essentiam ad cognoscendum se, quod nullo modo possit uti creatura tam-

quod ut argumentum probat, intelligibilitatem habent ab essentia, sed non habent aliam, quam ipsius essentiæ, et ideo pertinet ad primarium objectum, quia non habent aliam intelligibilitatem, quam primarii objecti. Quod ergo dicitur quod essentia divina secundum conceptum absolutum est per se primo intelligibilis, et ipsa species intelligibilis, distinguo; ita adæquate ut excludat attributa, et Personas nego; ita quod includat illa quasi inadæquate pertinentes ad ipsam intelligibilitatem primariam, vel tamquam proprietates, vel tamquam modificationes, concedo. Unde hoc ipso quod relationes sub conceptu relativo sunt intelligibiles sub eadem ratione primæ veritatis, et immaterialitatis, sequitur quod pertineant ad primarium objectum, quia non aliam intelligibilitatem habent quam primam licet inadæquate, non explicando totum, quod est in Deo.

XXII. Ultimo arguitur: Cognitio essentialis præcedit notionalem nostro modo intelligendi, ergo talis cognitio essentialis non habet pro objecto primario etiam inadæquate relationes, sed tantum essentiam. Antecedens est certum, quia absolute, et essentialia nostro modo intelligendi præcedunt relativa, et notionalia. Consequentia vero probatur, quia Verbum procedit per cognitionem notionalem: ergo si essentialis cognitio intelligitur prædere notionalem, intelligitur prædere ipsum Verbum; ergo non potest habere ipsum pro objecto, et a fortiori neque Spiritum Sanctum, qui procedit a Verbo. Nec potest dici quod in illo signo essentialis cognitionis Verbum, et Spiritus Sanctus objective sunt intellecti, sed non ut procedentes, et producti. Contra enim est, quia si in illo signo Verbum est in intellectu divino objec-

tive, ergo ut cognitum, ergo ut genitum, quia cognosci in illo idem est, quod generari, et esse. Et præterea sequitur, quod Verbum procederet ut imago sui ipsius, quia procedit ut imago objecti primarii, si quidem procedit ut imago illius quo fœcundatur intellectus Patris; fœcundatur autem ipso objecto primario; ergo si Verbum, et Spiritus Sanctus sunt in intellectu æterno, tamquam aliquid pertinens ad objectum primarium saltem inadæquate, ab illis procedit Verbum, et est imago eorum saltem inadæquate.

XXIII. Respondetur negando consequiam. Et ad probationem respondetur, solutione data. Ad primam replicam dicitur, quod in illo priori Verbum est in intellectu divino objective, ut cognitum essentialiter, non ut cognitum notionaliter. Verbum autem non dicitur genitum, nisi per cognitionem notionalem, et in quantum redditur notionaliter cognitum, id est, expressum, et dictum, et relative oppositum suo principio generanti, quod solum a Patre habet, non ut redditur cognitum essentialiter. Et hoc manifeste patet, quia Filius cognoscit se ipsum, et Spiritus Sanctus cognoscit Filium, et tamen non dicitur genitus a se nec a Spiritu Sancto, licet dicatur cognitum ab illis cognitione essentiali, non autem exprimente, et dicente Verbum, quæ solum est notionalis cognitionis.

XXIV. Ad secundam replicam respondetur quod Verbum non dicitur imago respectu cuiuscumque objecti, quod in se repræsentat, vel a Patre cognoscitur, sed respectu ejus quod habet munus, et officium speciei fœcundantis, et permodum principii se habentis in intellectu, ut exprimatur Verbo, nam imago solum dicitur imago respectu ejus, quod exprimit, et cui assimilatur tam-

quam motivo, et ratione cognoscendi se. Secundum, an ipsa divina essentia ita sit primarium objectum in divina cognitione, quod sit etiam medium cognoscendi creaturas tamquam res prius cognita, et ratione sui, an vero ut ratio cognoscendi non prius cognita, sed ut id quo aliquid cognoscitur. Constat enim duplex esse medium cognoscendi aliquid; unum quod prius cognitum ducit in cognitionem alterius, sicut præmissæ ducunt in conclusionem effectus in causam, signum et imago exterior in rem præsentatam. Aliud est medium quod facit cognoscere sine eo, quod sit prius cognitum, sicut species repræsentat objectum sine eo quod prius cognoscatur. Et inquirimus an divina essentia ad cognoscendum creaturas se habeat ut primum medium, an solum ut secundum.

## PRIMA DIFFICULTAS.

II. Circa primum, opinio est quam approbat pater Herice hic tractatu i disp. iv, cap. ii et iii, quod Deus non solum cognoscit se ipsum in se ipso, sed etiam in creaturis, non quidem concedendo aliquem discursum etiam nostro modo intelligendi Deum, ita ut sit quasi duplex cognitionis formaliter, alia qua ex creatura cognoscatur Deus; hoc enim est valde imperfectum, sed quod unica, et indivisibili cognitione, visa creatura, in ipsa cognoscatur Deus, ut terminus illius ibi in obliquo inclusus, quatenus est effectus Dei, non quidem cognitione intuitiva Dei, quia non sic continetur Deus in creatura, sed solum connotative, et quoad an est, quæ est cognitio abstractiva non formaliter sed eminenter, et æquivalenter, quatenus cognoscit creaturam terminari ad Deum existentem, et sic cognoscit

Deum contineri in creatura, et creaturam ad illum terminari eo modo quo creatura id potest repræsentare, et continere.

III. Fundamentum est, quia Deus videndo creaturas videt in ipsis repræsentari Deum tamquam in similitudine, et vestigio; omnis enim creatura essentialiter est effectus Dei, et dependens a Deo, et consequenter aliquo modo ipsum repræsentans, et continens, seu respiens tamquam terminum hujus dependentiæ: ergo impossibile est quod cum Deus perfectissime videat creaturas tamquam effectus suos, non cognoscat in illis dependentiam, quam habet, et respectum ad ipsum Deum: ergo cognoscit se ipsum ut terminum talis dependentiæ et ut contentum in creaturis, id enim ita est a parte rei. Quod vero Deus cognoscat istas creaturas non solum in se ipso, sed etiam in propria cognoscibilitate creaturarum, affirmat iste auctor ibidem disputatione quinta, capite quarto, ut in sequenti puncto referemus. Unde fit, quod Deus quando cognoscit se in creaturis ut terminum in obliquo inclusum, habeat ipsam creaturam tamquam medium, et rationem motivam suæ cognitionis, si quidem creaturas ipsas in propria sua cognoscibilitate dicit iste auctor cognosci a Deo non solum terminative, sed ut in ratione cognoscendi sine alio medio, et consequenter creaturæ præbent rationem motivam cognoscendi se, et Deum. Et succurrere possumus huic sententiæ testimonio Divi Thomæ satis favorabili, licet ab his auctoribus non abducatur, qui in primo, distinctione xxxii, quæstione secunda, articulo primo ad quartum inquit: « Quod patet in Verbo videt se ipsum, et creaturas, et sic etiam non est inconveniens quod per modum istum in creatura se videat, quæ ip-

sius divinæ bonitatis repræsentativa est per imaginem, vel vestigium. » Ita Divus Thomas. Ergo Deus cognoscit se ipsum ut repræsentatum in creaturis, atque adeo non solum cognoscit se in se ipso, sed etiam se in creaturis.

IV. Nihilominus licet hæc difficultas magni fiat a suis auctoribus, et non leviter premat eos, qui ponunt Deum cognoscere creaturam, præsertim futuras rationes veritatis, quæ in ipsis est, et non ratione ejus quod Deus in se ipso habet de tali bus creaturis, tamen non est cur multum immoremur in illa. Brevis ergo dicimus, quod ex parte rei cognitæ, et objecti terminativi, Deus cognoscendo creaturas cognoscit se terminare relationem dependentiæ earum, et in illis tamquam in effectibus contineri, et repræsentari imperfecte, et connotative. Non tamen ullo modo Deus utilitur creaturis tamquam objecto motivo, et ratione formalis cognoscendi se ipsum, nec ex parte cognoscens imbut illum modum cognoscendi se in creaturis ea limitatione, et modo quo in ipsis continetur; sed totum hoc quod est creatura et Deus contentus et repræsentatus imperfecte in ipsa creatura pertinet ad objectum terminativum, et materiale cognitionis divinæ, cognoscitur autem a Deo sub motivo, et ratione formalis suæmet essentiæ comprehensive cognitæ. Et ita Deo ex parte cognoscens nullo modo convenit abstractiva cognitionis, et inadæquata sui. Ratio deducitur ex his quæ latius attingemus disputatione sequenti, articulo secundo, et infra in hoc articulo, quia non potest constitui in Deo, alia ratio formalis, et motiva cognoscendi, nec alia species repræsentativa objecti cognoscendi, nisi ipsa divina essentia, intellectum enim divinum ut aliqua specie creata ad intelligen-

dum, nefas est imaginari: ergo quidquid Deus cognoscit sive se ipsum sive creaturas, totum cognoscit per se ipsum tamquam per rationem formalem cognoscendi, et speciem repræsentativam eorum quæ cognoscit: ergo quantumcumque cognoscat creaturas, et ea quæ ad creaturas consequuntur, et quomodo continentur, aut respiciant Deum ex parte rei cognitæ, non tamen potest uti illis ut ratione formalis cognoscendi; ergo neque cognoscit Deum ex parte cognoscens eo modo, et limitatione, et abstractione qua continentur in creaturis, quia ex parte cognoscens sic se habere non est aliud, quam se habere ex parte medii seu rationis formalis qua cognoscit, hæc autem non potest esse ipsa creatura. Unde neque potest cognosci Deus à se cognitione abstractiva, vel inadæquata etiam eminenter ex parte cognoscens, quia nullo modo potest uti motivo, et ratione formalis creata etiam eminenter, nisi ly eminenter sit ratio increata, quæ eminenter continet creaturam, sed hoc est reducere totam rationem formalem cognoscendi, et modum cognoscendi, ad medium, et cognoscibilitatem increata, non ad ipsam cognoscibilitatem creaturæ, ut ad rationem motivam.

V. Quod vero ex parte rei cognitæ nullum sit inconveniens Deum cognoscere se ipsum in creaturis constat manifeste, quia hoc nihil est aliud quam Deum cognoscere, se finito modo contineri in creatura, et per actus quibus creatura cognoscit Deum finito modo cognosci, et contineri Deum finito modo in creatura, et sic terminare relationem ejus, quod nullam imperfectionem devolvit in Deum, sicut neque etiam videre ex parte rei cognitæ, quod una creatura habeat connexionem cum alia, et dependeat, et terminetur ad illam, et consequenter etiam ad

Deum, imo etiam cognoscit Deum blasphemari, et contemni a creatura, nec posset cognoscere gravitatem peccatorum nisi cognoscendo, quomodo habeant rationem injuriæ tangentis ipsum Deum, neque actus ipsos charitatis et virtutum supernaturalium, nisi videndo, quod terminantur ad Deum. Quod totum est videre se ipsum sic attingi vel terminari a creaturis, aut earum operationibus tamquam quid tenens se ex parte rei cognitæ, non tamen ullo modo respiciendo creaturam ut rationem formalem; aut ut motivam aut ut speciem cognoscendi ipsam creaturam, vel Deum contentum in illa.

VI. Unde solvitur fundamentum oppositum, probat enim Deum ut contentum in creaturis cognosci ex parte rei cognitæ in creatura a Deo cognita, sub ratione tamen formalis, et motiva ipsius divinæ essentiæ, non vero utendo creatura tamquam ratione formalis cognoscendi. Si vero cognoscibilitas ipsa creata esset Deo ratio cognoscendi, ita ut non solum Deus cognosceret creaturas in se ipso, et ratione sui ipsius tamquam ex ratione formalis, sed etiam respiciendo cognoscibilitatem creaturæ, ut rationem cognoscendi, sic difficultatem haberet illud fundamentum, a qua non bene se possunt expedire qui id sentiunt. Nobis autem difficultatem non facit, quia totum hoc quod Deus cognoscit in creatura, tam de ipsa creatura, quam de se ipso contento in creaturis, totum cognoscit in se ipso, tamquam in ratione formalis a qua derivatur ipsa creatura, et modus ipse finitus quo Deus continetur in illa, et quo terminat relationem illius. Nec amplius probat locus allatus ex D. Thoma, nisi quod Deus se ipsum videat in creatura tamquam in termino et re cognita, non tamen tamquam in ratione formalis, et motiva

cognoscendi etiam eminentialiter, quia implicat quod Deus utatur creatura ut ratione formalis, et motivo, et tamen eminentialiter id dicatur facere; oportet enim id reducere ad motivum eminentius, quam sit creatura, et hoc est ipse Deus, non ergo creatura est motivum eminenter, nisi Deus in se ipso (quod est motivum eminentius) videat creaturam.

## SECUNDA DIFFICULTAS.

VII. Stabilito quod divina essentia sit objectum primarium divinæ intellectio- nis, imo ab ipsa intellectione non distinctum, circa modum quo se habeat in ordine ad objectum secundarium quod est creatura, et quomodo sit medium cognoscendi illam, non modica agitatio est inter auctores hujus temporis. Et cum sit illud duplex medium, ut supra diximus, alterum ut quo sicut species repræsentans, alterum ut quod sicut res cognita habens connexionem cum alia, illamque inferens et demonstrans, sicut causa effectum, præmissæ conclusionem, est dubium an solum primo sit medium divina essentia ad repræsentandum creatures, an etiam secundo ad demonstrandum illas. Et dato quod ita sit, quod Deus in se ipso ut in medio repræsentante, aut demonstrante, creatures attingat, an hoc solo modo possit eas cognoscere, an etiam immediate in se ipsis et ratione propriæ cognoscibilitatis earum, non solum ut terminante, sed etiam ut movente, vel ut immediate in se cognoscibili a Deo.

VIII. In primis non desunt qui existimant otiose requiri speciem, seu divinam essentiam per modum speciei ad cognoscendum creatures; sed sufficere infinitum lumen ex parte Dei, ut statim sine alia specie

pateat ei omne cognoscibile quocumque sit. Videntur hi auctores speciem ad hoc requirere, ut aliquid luminis addat intellectui manifestando objectum. Ubi ergo ad infinitum lumen devenitur, vacat manifestatio speciei. Deinde, pater Herice hic tractatu primo, disputatione quinta, capite quarto, ejus sententia obviis manibus a pluribus excipitur, existimat creatures cognosci a Deo non solum in se ipso, ut contentas in suis attributis, sed etiam immediate in se ipsis et in propria cognoscibilitate creata, ut dicatur Deum attingere omne cognoscibile sub omni modo cognoscibilitatis, et non uno modo tantum, licet hoc non addat perfectionem supra cognitionem creaturarum in ipso Deo, sed extensionem quamdam quaterninetur immediate ad creatures, sicut scientia visionis non addit circa creatures nisi quamdam extensionem attingendi illas in proprio exercitio existendi. Utique viam parant ad stabiliendum quomodo Deus futura videat in ipsa veritate quam fundant ex se, non in aliquo decreto vel attributo ex parte Dei. Contra hoc agemus disputatione sequenti, art. II et disp. XIX.

IX. Secundo, p. Vazquez hic disputatione LX, cap. II et III existimat divinam essentiam non habere rationem mediæ prius cogniti et objecti quod, ita ut mediante illa tamquam causa prius cognita cognoscantur creature, sed solum habere rationem similitudinis seu speciei repræsentantis creatures tamquam medium quo. At vero p. Arrubal, hic disputatione XXX, c. III, volens hanc sententiam modificare, et cum communii sententia quæ tenet Deum cognoscere creatures in se, ut in causa et objecto prius cognito eam conciliare, asseruit divinam essentiam non solum esse speciem repræsentativam creaturarum, sed etiam objec-

tum cognitionum, non tamen prius cognitum terminative, ut ex ipso manifestentur creature, sed solum se habere ut objectum movens et determinans intellectum divinum ad cognoscendem creatures, quia ad hoc ut ex uno objecto prius cognito aliud manifestetur, requiritur connexio inter objectum manifestans et rem manifestatam; Deus autem nullam connexionem habet cum creaturis, quia ex destructione veritatis creatæ non sequitur destructio veritatis divinæ; ubi autem est necessaria connexio, ex destructione consequentis destruitur veritas antecedentis (quod est fundamentum Vazquez). Eamdem sententiam sequitur p. Lessius, lib. VI de perfectionibus divinis, cap. I.

X. Alii duplum modum cognoscendi creatures attribuunt Deo, alterum per suam essentiam prius cognitam ut causam creaturarum: alterum per suam essentiam tamquam per speciem repræsentantem immediate creatures sicut creature existentes attinguntur immediate per visionem divinam, ita quod si non essent existentes in se, non datur visio intuitiva earum, et tamen ista visio intuitiva non addit novam rationem formalem supra scientiam simplicis intelligentiae, sed solum connotationem quamdam ad creatures ut existentes in se ipsis. Hanc sententiam reputat probabilem p. Suarez, libro III de attributis positivis, cap. II, n. XIV, sed eam non sequitur. Denique, alii simpliciter fassent Deum non cognoscere creatures alia ratione formalis, nec alio medio quam in se ipso, ut in causa, et objecto prius cognito. Et si essentia divina est species creaturarum, solum est species mediate repræsentans eas, id est, mediante essentia divina prius repræsentata, non immediate in se. Quæ est communior sententia inter discipulos D. Thomæ.

XI. Nihilominus in præsenti tam-

quam certum supponendum est, Deum non solum ad cognoscendum se, sed etiam ad cognoscendum creatures non solum ut lumine et virtute intellectiva infinita, sed etiam specie non quidem creata, sed increata, imo ex eo quod increata est non potest repræsentare creatures nisi mediate, et supponendo priorem repræsentationem ipsius rei increatae. Et ex hoc ulterius nascitur quod non potest uti cognoscibilitate creature tamquam ratione formalis, aut motiva cognoscendi illam, sed ut contentam in cognoscibilitate et ratione formalis Dei; quia non potest uti alia specie quam divina. Imo hinc deducetur contra Vazquez debere uti divina essentia, ut medio cognito et re prius attacta ut quod, ad cognoscendum creatures. Hæc enim omnia ex illo principio derivantur, quod Deus uti debet specie ad cognoscendum creatures, eaque debet esse increata et divina, quod principium fortassis ideo aliqui negant, quia penetrant, cum ipso non posse stare quod Vazquez et Herice docent, aut saltem ex illo principio, eorum fundamenta convelli.

XII. Igitur contra sententiam Herice plenius disputamus sequenti disputatione, articulo secundo. Contra sententiam autem Vazquez disputavimus supra, disputatione XV, art. III, ostendendo beatos videre creatures in Deo ex vi visionis divinæ essentiae, et in probationem adduximus, quia Deus scientia sua ita cognoscit creatures, scilicet mediante se ipso ut objecto prius cognito, et tamquam in causa; idque ibi probavimus ex auctoritatibus D. Dionysii, et D. Thomæ et rationibus. In præsenti solum breviter ostendemus, quod illud principium est certissimum, scilicet Deum, licet habeat infinitum lumen, debere tamen uti specie etiam ad cognoscendum creatures. Unde colligemus primo, quod est